

3/96

IDIBVS SEPTEMBRIBVS
MCMXCVI

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A IDIBVS

TOMVS 19

FASC. 114

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSIS, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Nuper in actis diurnis 'Nuntius urbis Bernae' (Stadtanzeiger Bern) narrationem ingeniosam a scriptore Bernensi Luca (Lukas) Hartmann compositam inveni, titulo 'Fabula aestiva'. Quam vobis in Latinum versam nunc propositurus sum: Illi principi parvo, quem Antonius de Sancto Exuperio (Antoine de Saint-Exupéry) invenit, omnino non iam placuit se personam in libro omnibus fere noto esse; valde eum taedebat discipulis taedii plenis lectioni obligatae esse. Itaque quodam die libellum reliquit, in quo inclusus erat, et consilium cepit illam urbem ad Aruram flumen sitam petere, quam poeta clarissimus Ioannes Wolfgang Goethe pulcherrimam Europae declaravisse fertur.

Princeps parvus aedificio tholo ornato, quod ex area valde frequentata aspexit, miro et quasi magico modo allectatus est. Tectum forma hemisphaerii et viridi colore nitens ei planetam patriam paululum in memoriam revocavit, et existimavit se eo ascendere et de summo tecto urbem spectare posse. (Quibus Berna nota est, non ignorant illud aedificium curiam confoederationis Helveticae esse).

Sed custos ad fores vitreos aedificii stans principem parvum in tectum ascendere non sivit dicens: "Hic regitur; non semper quidem, sed saepe. Praeterea certis horis, quae diligentissime observandae sunt, hoc aedificium visi potest."

"Quid id est: 'regere'?" parvus princeps interrogavit.

Custos meditatus est, tum respondit: "Nostra aetate 'regere' significat imprimis 'pecuniae parcere'."

"Quanam parte parcut?"

"In aerario administrando scilicet."

"Et quid de floribus vestris?" parvus princeps interrogavit et aedificia ex adverso sita, quorum ante fenestras cistae geraniorum luxuriose florentium erant, monstravit; "Etiamne ii in florendo parcut?"

Custos respondit: "Primum id non idem est, et praeterea flores nostri stercorantur."

"Ergo aerarium vestrum quoque stercore!" parvus princeps dixit.

Custos non laete risit: "Pecunia stercore non potest."

"Quibus de causis id fieri non potest?" parvus princeps interrogavit. "Si ii, quibus nimium pecuniae est, eis, quibus parum est, partem abundantiae dabunt, id idem est ac stercoreatio."

Custos caput concussit: "Nihil intellegis. Num existimas divitibus umquam nimium pecuniae fore?"

"Existimo", parvus princeps dixit. "Si enim muris pecuniae saepiuntur, caelum et arbores non iam vident. Itaque marcescunt."

"Homines non sunt flores", respondit custos, quem patientia paulatim defecit. "Et pecunia muri non aedificantur. Magnae summae pecuniae non visibiles ab alio ad alium computum fluunt. Ibi exempli gratia ea aguntur." Et custos aedificia geraniis ornata circum aream confoederationis (Bundesplatz) sita monstravit. (Illa aedificia instituta pecuniaria sunt).

"Sunt muri quoque, qui non videantur", parvus princeps pertinax dixit. "Et ii pessimi sunt. Nonne scis homines in parte intima floribus similes esse?"

"Res ineptas!" custos vocavit et ira subito exardescens paene ruptus est. "Apage te hinc et facesse! Me perturbas, nugator!"

"Parvus princeps sum", parvus princeps cum dignitate dixit.

"Nonne me agnoscis?"

"Princeps?!" custos exclamavit. "Eo gravius! Principes in civitate democratica esse vetuntur, nisi a regimine civitatis invitati sunt. Tu autem certe non invitatus es. Monstra mihi tuas legitimationes!"


"Legitimationes mihi non sunt," parvus princeps dixit. Clam se subduxit et ex oculis custodis elapsus est. Forsitan in librum refugit, et ii, qui eum diligunt, ibi quaerere poterunt. Sed corde nobis quaerendus est, ut re vera eum inveniamus.

Valete!



Daniel Weissmann

De morte hominum superborum in fossa ursorum Bernensi



Nemo fere, qui urbem Bernam, caput Helvetiae, visitat, occasionem fossae ursorum visendae praetermittit. Plerumque ursi placidi et quieti sunt, nisi terrentur vel temere lacessuntur. Tamen accidit, ut homines, qui in fossam ceciderant, ab ursi interficerentur. Sed constat id potius insolentia, temeritate, superbia illorum homi-

num, plerumque ebriorum, quam ferocitate vel malitia ursorum factum esse. Per ultimos 150 annos octo homines ab ursi in fossa necati sunt. Ecce tria exempla talium casuum!

Centurio equitatus Anglicus nomine Lorck

Die Saturni 2^o mensis Martii anno 1861^o centurio (1) equitatus Anglicus nomine Lorck, 31 annos natus, hora sexta vespertina cum nonnullis amicis in taberna, cui nomen 'Falco' (Falken) erat, in Vico Fori (Marktgasse) sita cenavit. Post cenam Lorck cum tribus amicis hora nocturna ad fossam ursorum se contulit. Ibi legatus iuvenis proxenii (2) Anglici, nomine Ch. C. Eden, Lorck(um), qui non iam sobrius erat, prohibere non potuit, quin in saepe (3) ferrea corpus librans exercitationes gymnasticas fecit. Saltus supra saepem (3) ferream male successit, et Lorck in labro superiore fossae non iam consistere potuit et in fossam decidit. Lorck, qui ad solum fossae aspere allisus os nasale fregerat, aliquamdiu sine sensu iacuit.

Illo tempore ursi plerumque in fossa pernoctabant. Ursa cum pullis inclusa erat, et ursus nomine 'Mani' stabulo aperto quiete dormiebat.

Socius Lorck(i) ad domum post fossam ursorum sitam cucurrit et fores pulsans aliquem auxilio arcessere voluit. Quod nemo apparuit, in urbem properavit - auxilio prope fossam ipsam non quaesito - et duos amicos in deversorio dormientes excitavit. Tum, postquam amici vestibus induti sunt et in viam descenderunt, ille ad pistoriam nomine 'Niehans' in Vico Crucis (Kreuzgasse) sitam festinavit. Ibi tribus famulis pistoris magna cum concitatione et perturbatione animi explicare conatus est, quae acciderant. Unus ex famulis pistoris agasones (4), qui in taberna Monasteriunculi (Klösterliwirthshaus) prope sita dormiebant, excitavit.

Interea viginti iam minutae e casu Lorck(i) in fossam praeterierant. Centurio erectus in fossa stabat. Tandem 'Mani', qui adhuc quietus in stabulo manserat, prodiit et lente appropinquavit. Lorck non quietus erat - quod in talibus rebus optimum factu fuisset -, sed putavit oportere se petaso et umbrella se defendere. Praeterea amici desuper petasos, vestimenta, lintea in caput ursi iecerunt. Eo modo ut ursum paulisper prohiberent, ita laccessiverunt. Unus famulorum pistoris in muro, qui duas partes fossae maioris separabat, sedens conatus est Lorck(um) sursum trahere. Sed ille bis manum servaturam capere non potuit. Tum amici vestimenta conexerunt et Lorck(um) ita sursum trahere conati sunt. Sed fataliter textum discissum est, et centurio iterum in fossam decidens stratus in solo iacuit. Tum ursus, qui adhuc neque male neque ferociter se gesserat, eum aggressus est et unguis cepit et in fossa circumvolvitur. Agaso (4), qui eo momento a Monasteriunculo accurrens funem apportavit, sero venit.

Tum amicis Lorck(i) miseri ad amicum servandum nihil aliud restare visum est nisi ursum sclopeto (5) interficere. Unus



eorum in praesidium principalem custodum publicorum properavit et auxilium et sclopetum petiturus. Sed ibi, sine petaso et colobio (6), praeterea maxime concitatus et perturbatus, demens habitus est. Postremo praefectus praesidii nonnullos custodes publicos excitavit et cum illo misit. Per saecula, quibus Bernae ursi in fossa vivebant, adhuc talis casus nondum evenerat. In via custodes publici a loco constructionis (7) scalas secum abstulerunt. Sed sero venerunt: Exanimatus miser centurio in fossa iacebat.

Cum curator ursorum nomine Rex (vulgo: König), qui advocatus erat, adiutus a praefecto militum (8) nomine Kurz, praesente praefecto regiminis nomine Studer, scalis in fossam descendisset, 'Mani' erectus ei appropinquavit. Curator ursorum autem voce firma et vituperante urso dixit: "Eh, mi Mani ferox, vide, quid egeris!" Ursus reprehensionem intellexisse visus est et se recepit. Duo custodes publici eum longuriis ad murum fossae retinuerunt, dum mortuus tabula sursum trahitur.

Cadaver panniculis tantum indutum multis vulneribus affectum erat. Quaestione medicina cognitum est Lorck(um) ex ictu vel pressu pectoris suffocatum esse. Centurio Lorck die 6^o mensis Martii Bernae sepultus est.

Mulsor Christianus Wüthrich

Die Mercurii 8^o mensis Aprilis anno 1896^o functionarius magistratus rei structoriae civitatis (9) in fossa ursorum cadaver, quod ab ursis obsidebatur, animadvertit. Filiam curatoris ursorum (curator ipse nomine Bigler, qui etiam munere baiuli cursus publici fungebatur, officium nocturnum egit) excitavit. Filia statim custodes publicos advocavit, qui siphonariis (10) adjuvantibus cadaver e fossa auferendum curarent. Duo ursi autem cedere noluerunt. Cadaver ventro averso iacens vestimentis nudatum erat praeter calceos et impilia (11), et ursus nomine 'Mani' - progenies illius 'Mani', qui anno 1861^o centurionem Lorck(um) necaverat - cadaver unguis retinuit. A mortuo cutem capitis absciderat et oculos eius effoderat faciemque laceraverat. Cutem capitis tenens ursus per fossam cucurrit et eam in puteo circumagens abluit. Dimidia pars brachii sinistri abscissa erat, sed ursi - ut fertur - carnem non ederant, et pars cadaveris adversa incolumis erat.

Cadaver alcohol redolebat. Panniculi vestimentorum et vestigia sanguinis per totam fossam dispersa demonstraverunt ursos victimam in fossa circumvolvisse.

Post nonnullos dies cognitum est, quid illa nocte apud fossam ursorum accidisset: Ille vir mulsor (12) nomine Christianus Wüthrich fuit, qui compluribus locis suo munere functus erat, sed, quod aquae ardentis usum immoderate appetebat, ubique mox dimissus erat. Die 7^o mensis Aprilis in taberna aliqua Bernae chartis luserat et septima hora sub vesperum valde ebrius erat. Tum hora nocturna fossam ursorum petivit et ursos ludificari voluit. Nimis super saepem (3) ferream se inclinans propter ebrietatem aequilibrium amisit et in fossam cecidit.

Studiosus Augustus Josephus Mahler

Die Veneris 2^o mensis Aprilis, die parasceves (13), anno 1920^o septima fere hora vespertina raeda ad fossam ursorum advenit, e qua tres iuvenes non iam sobrii descenderunt. Unus eorum ad fossam properavit et magno impetu petasum deiecit. Maximus ursorum nomine 'Sämi' petasum cepit, discidit eiusque taeniam omnino comedit. Iuvenis praeter dextram partem fossae iit, in muro consedit et crura in fossam demisit. Ita arancia (14) et rapa in tres ursos nominibus 'Sämi', 'Joggi', 'Hansi' iactavit.

Risu multitudinis hominum spectantium ad novas res gestas stimulatus iuvenis saepem (3) ferream transcendit. Manibus scipiones ferreos tenens lente in fossam delapsus est. Primum ursi eum neglexerunt. Sed cum petasus de capite iuvenis decidisset, unus ursorum appropinquavit et petasum olfactavit. Proximitate ursi minante iuvenis adductus est receptui canere, praesertim cum aliquis vocaret magnum ursum nomine 'Sämi' appropinquare.

Aequa mente - ut videbatur - ursus magnus praeter murum lente ingrediens appropinquavit. Subito autem agiliter velut felis exsiluit et unguis suram iuvenis dependentis corripuit. Qui desperatus sursum se trahere conatus est, et desuper comites eum vestimentis et crinibus tenuerunt. Sed unguis magnae ursi per crura lapsae in calceis altis iuvenis fixae sunt. Contra vim ursi iuvenis non iam retineri potuit, et ursus eum facile in fossam detraxit. Primum iuvenis pedibus stetit, tum supinus iacuit, et ursus

super eum sedit. Miser conatus est manu dextra fauces imminentes ursi a facie avertere. Indignans ursus brachium eius momordit. Tum ceteri duo ursi advenerunt, et dum alter pedem iuvenis olfactat, alter femur eius vulneravit.



Tum ursi sanguinem stillantem lambere coeperunt. "Propere auxilio venite!" miser iterum iterumque clamavit. Desuper homines sellam, scamna lignea cistasque in ursos deiecerunt - sed frustra. Ursi tantum se quassantes non abierunt. Cum homines conarentur trabibus longis ursos a iuvene prohibere, ii illum mediam in fossam traxerunt neque iam perturbati sunt.

Curator ursorum utrum longum apportavit, quem cum fistula aquae (15) coniunxit. Ictu magno aquae tandem ursi a victima sua depulsi sunt. Miser surrexit et pallidus, velut in lapidem mutatus, madefactus in magna lacuna sanguinis et aquae stabat. Labans nonnullos gradus progressus est et corruit.

Gravibus vulneribus affectus, crure et brachio laceratis, vulneribus morsus et radendi in capite, pectore alvoque in valetudinarium Bernense nomine 'Insula' apportatus est. Ibi nocte a die Saturni ad diem Solis vel Dominicum animam efflavit.


Ille iuvenis, qui superbiam tam atrociter luit, studiosus iuris nomine Augustus Josephus Mahler, 21 annos natus, ex urbe 'Wil' in pago Helvetico Gallopoli (St. Gallen) erat. Ad res militares ordinandas Bernam venerat. Illo die parasceves post meridiem domum reverti in animo habebat, sed tramen non iam assecutus erat et deinde cum duobus comitibus biberat et vino madidus illam fatalem excursionem ad fossam ursorum suscepit.

(Fons: Nuntii 'Ursus Bernensis' (Berner Bär) die 25^o mensis Aprilis 1996)

Vocabularium:

1	centurio	Hauptmann/capitaine/capitano/capitán/captain
2	proxenium	Botschaft/ambassade/ambasciata/embajada/embassy
3	saepes,-is f	Geländer/balustrade/balustrata/barandilla/railing
4	agaso,-onis m	Stallknecht/valet d'écurie/stalliere/mozo de cuadra/stableman
5	sclopetum	Gewehr/fusil/fucile/fusil/rifle
6	colobium	Weste/veste/giubba/chaqueta/waistcoat
7	locus structionis	Baustelle/chantier/cantiere/obra/building site
8	praefectus militum	Oberst/colonel/colonello/coronel/colonel
9	magistratus rei structoriae civitatis	Stadtbauamt/service urbain/ufficio edile/oficina de obras y construcciones/surveyor's Office
10	siphonarius	Feuerwehrmann/pompier/vigile/bombero/feuerman
11	impilia,-orum	Socken/chaussettes/calzetti/calcetines/socks
12	mulsor,-oris	Melker/trayeur/mungitore/ordeñador/milker
13	dies parasceves	Karfreitag/Vendredi Saint/Venerdì Santo/Viernes Santo/Good Friday
14	arancium	Orange/orange/arancio/naranja/orange
15	fistula aquae	Hydrant/borne d'incendie/idrante/boca de riego/fire hydrant

Daniel Weissmann



De Ioanne sive Ion Harrolson inventore carmen parvum e lingua Anglica in linguam Latinam versum

Etiam in bellis, quae hominibus sunt atrocissima neque ullo modo laudanda, interdum aguntur, quae magis ad ridendum quam ad flendum spectent. Omnium exercituum milites haud raro id progignebant, quod Theodisce 'Galgenhumor' vocatur: Condiciones miserias iocis superare studebant.

Bello inter Civitates Gesto Americano (1861-1865) copiae meridianae (sive confoederatae) navibus longis septentrionalibus impeditae, ne res ad vitam et ad bellum gerendum necessarias ex Europa importarent, nova invenire coactae erant, ut pugnam pro libertate gerendam continuare possent. Tunc temporis sal petrae (1) sive nitrum (2) maxime erat necessarium ad pulverem pyrium (4) faciendum. Qui sal petrae cum importari non posset, alio modo gignendus erat. Vir doctus chemicus nomine Ioannes (Anglice: John) Harrolson proposuit, ut civitatum meridianarum incolae urinam cottidie colligerent, quae doliis magnis in salis petrae fabricas transportaretur et ibi coqueretur, donec sal petrae extrahi posset.

Homines meridiani primum hoc propositum parum laudaverunt. Urbanitas ab eis poscebat, ut de excrementis humanis ne mentionem quidem facerent. Imprimis mulieres pudebat palam urinam e domibus comportare. Qua de causa Ion Harrolson illudebatur et homo impolitus habebatur.

Carmen, quod infra exhibebitur, opinionem publicam de Ioanne Harrolson bene exprimit. Mox autem opinio ea mutata est, et multi milites 'Yanci' (= septentrionales) bello occisi sunt propter pulverem pyrium urina muliebri genitum. Ceterum hoc carmen secundum melodiam nobis optime notam canebatur, secundum enim carminis natalici melodiam, quod Theodisce 'O Tannenbaum' inscribitur. Quae melodia origine Anglica Belli inter Civitates Gesti Americani tempore compluribus carminibus supposita est.

Versio Anglica

John Harrolson, John Harrolson,
you are a funny creature.
You've given to this cruel war
a new and curious feature.
You'd have us think while every man
is bound to be a fighter,
the women - bless the pretty dears! -
should be put to making nitre.

John Harrolson, John Harrolson,
how could you get the notion
to send your barrels 'round the town,
to gather up the lotion?
We think the girls do work enough
in giving love and kissing,
but you'll put now the pretty dears,
to patriotic p..... .

John Harrolson, John Harrolson,
could you not invent a meter?
Or some less immodest mode
of making your salt peter?
The thing it is queer, you know,
gunpowder, like the cranky
that when a lady lifts her shift
she shoots an other Yankee.

Versio Latina

Ion Harrolson, Ion Harrolson,
es mira creatura.
A te et nova proelio
est data huic figura.
Cum velis omnes homines
sint boni pugnatores,
vis nostras esse feminas
nitratu (3) productores.

Ion Harrolson, Ion Harrolson,
est vere mirum visu:
Per urbem carri, mittis quos,
me totum implent risu.
Laborant sat mulieres
nos viros diligendo,
tu autem eas patriae
adesse vis ming.... .

Ion Harrolson, Ion Harrolson,
cur non utiliora
creasti nitrum faciens
nec incommodiora?
Necesse pulvis pyrius
est nobis, o pro Sancus (5)!
Cum tollit gunnam (6) domina,
necatur ita Yancus (7).

Parvum vocabularium ad carmen melius intellegendum:

- | | |
|--|---|
| 1 sal petrae, salis
petrae (m): | Theodisce: Salpeter; materia, qua
pulvis pyrius fit. |
| 2 nitrum, -i (n): | par ac sal petrae |
| 3 nitratum, -i (n): | hic par ac nitrum |
| 4 pulvis pyrius, pul-
veris pyrii (m) | materia displosiva sale petrae fac-
ta, qua tela ignifera pistoliis vel
sclopetis vel canonibus abiciuntur. |
| 5 Sancus, -i: | aliud nomen Iovis |
| 6 gunna, -ae (f): | vestis muliebris (Theodisce: Rock) |
| 7 Yancus, -i (m): | Civitatum septentrionalium incolae
a meridianis Yanci (Anglice: Yan-
kees) vocabantur. |

Martin Meier



De Piorum regione

Aliquando ingentes flammae, flumini similes, ex Aetna monte provenientes multos agros invadebant. Incolae territi statim consilium fugiendi ceperunt. "Loca haec deseramus", aiebant, "ut vitam nostram servemus! Quid autem potissimum nobiscum auferemus?" Multi homines avaritia moti aurum argentumque secum extulerunt. Duo adulescentes autem divitiis amissis parentes aetate confectos umeris imposuerunt. Tum ceteri: "Nolite vitam vestram stulte amittere! Mors crudelis vos opprimet. Parentes hic relinquite!" Adulescentes autem parentes non deseruerunt. Flammae sane cursu celeri omnia delentes incolis onere auri argentique impeditis mortem crudelem attulerunt. Duos adulescentes autem praeterierunt. Postea regio haec, ubi adulescentes modo mirabili servati erant, 'Piorum regio' vocata est.

Barbara Maier



Litterae legentium

Legra ex urbe Anglica (vulgo: Leigh-on-Sea) amicus noster Brennus Episcopides (Brian R. Bishop) haec nobis scripsit:

"Quod pertinet ad commentarium mensis Augusti: Verbum Hispanicum 'margarita' (p. 29) est, credo, 'bellis', cuius petala exciduntur ad fortunam amoris inveniendam ('Amat me ... non amat me' usque ad ultimum petalum).

Malo in p. 31 'aure' pro verbo 'audiendo', ut contrapendat ad 'cor'.

Thesaurus verborum meus non continet nec verbum 'aulatrix' nec 'aulator', quamquam forsitan 'auletes' aut 'tibicen' conveniet?"

Gratias agimus Brenno et proposita eius nobis valde probanda videntur. Re vera '**tibicina**' scribere debuit pro verbo

'aulatrix' (Memoria verbi Graeci αὐλητρίσ = 'auletris' me fefellisse videtur).

Ecce igitur duae sententiae Hispanicae, quarum Brennus Episcopides mentionem fecit, pulchriores redditae:

p. 29: Incertum est **bellis**, cuius petala numquam desinunt excidere.

p. 31: Ars maxime directa est musica: intrat **aure** et statim ad cor ipsum it. (Magdalena Martínez, **tibicina**)

Daniel Weissmann



De Formiano decocore a Catullo poenas exigente

O vesperum horrendum et quidem recordandum,
quo Lesbiam infidam perosus adveni
ad Ammianam, amoeniorem amatricem.

"Catulle mi", inquit dulciter, "veni, quonam
casu beato te domum meam confers?"

An, quod mihi reor miserrimae, non te
ullus mei furor movet vel urit nunc:

expulsus ast a Lesbia suo more,
solacium quaeris doloris atrocis,
ad hoc misellam me gradu ferox visens."

"Non vera suspicaris: algidam pupam
tibi quis anteponat arbiter sanus?"

Ardore mutuo at flagrantibus nobis,
aedes nitent taedis ero revertente,
satellites suos ferensque Mamurra (1):

"Quid est?" rudens clamat "Quis est? Meum lectum
ab hocce pollui feram cinaedo, qui

me Mentulam appellare et ausus et tollit
nunc feminam, quae ipsa magis mihi vita

cordi est? Poetam nonne aquae remitemus?"

Illius ad nutum ecce barbari quidam
me humo statim levant abire conantem,
et in lutum lacus in hortulo stantis
iactant. Id Ammiana saltitans laudat,

et Formiis natus probare decoctor
ridens videtur aemuli ferum casum.
Domum meam redire tandem aquae plenum
aegre tenebras inter humidum divi
sivere. Te vero hi perire decernant,
poenas luas iustas ut asperae fraudis:
miram puellam Lesbiam tibi quisque
praestare sanus confitetur ac censet.

- 1) Ut omnibus est notum, Catullus alienissimo semper existit animo ab illo Mamurra, quem in carmine centesimo quinto Pipleum montem scandere conantem Musae furcillis praecipitem eiecisse dicuntur; quo amasio autem usam esse Ameanam illam, sive Ametinam, sive Amineam, inter omnes constat, quam Lesbiae pulchritudini comparari iniquissimo Catullus fert animo (cfr. XLII).
Qualis vero exstiterit tam gravis inimicitiae causa atque origo his versiculis, Hipponacteo metro compositis, ludibunda studemus explanare coniectura; qui ex lectoribus autem Latinas litteras diligentius perscrutatus sit, quandam forsitan contaminationem animadvertat cum consimili obsceno iniucundoque casu qui Crispo evenisse Sallustio perhibetur, a marito Milone in adulterino commercio cum Fausta, Sullae filia, deprehenso.

Orestes Carbonero



Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum in Latinum versae!

No hay espejo que mejor refleje la imagen del hombre que sus palabras.

Juan Luis Vives (1492-1540)

Speculum optimum, quod imaginem hominis ostendit,
verba eius sunt.

*

La técnica se aprende, pero no se enseña.

Manuel de Falla, compositor (1876-1946)

Ars discitur, sed non docetur.

*

Manos se besan a veces, que deberían ser cortadas.

Cristóbal de Castillejo (fere 1490-1550)

Nonnumquam manus basiantur, quas abscidere oporteret.

*

El Señor da siempre oportunidad si queremos.

Teresa de Ávila (1515-1582)

Dominus semper occasiones praebet, si volumus.

*

Cuatro cosas no pueden ser escondidas durante largo tiempo: la ciencia, la estupidez, la riqueza y la pobreza.

Averroes (1126-1198)

Res quattuor per multum tempus occultari non possunt: scientia, stultitia, divitiae, paupertas.

*

Los artistas que dicen que practican ocho horas diarias son unos mentirosos o unos asnos.

Andrés de Segovia, musicus (1893-1987)

Artifices dicentes se octo horas cottidie exerce-
re vel mendaces vel asini sunt.

* * * * *

Con hambre sólo, pero sin ideal alguno se hacen motines,
pero no revoluciones.

Jacinto Benavente (1866-1954)

Fame tantum, sed sine imagine rerum perfectissi-
ma, seditiones fiunt, non autem rerum commutatio-
nes.

*

Que nunca nadie es malo de repente.

Alonso de Ercilla y Zúñiga (1533-1594)

Repente numquam aliquis improbus fit.

*

Hay secretos que se guardan por delicadeza más que por
engañar.

Jacinto Benavente (1866-1954)

Arcana quaedam plus verecundia quam proposito
decipiendi conservantur.

*

Porque esos son los viejos: la cuerda, la ligazón que hay
entre la vida y el abismo de la muerte.

Federico García Lorca (1898-1936)

Nam tales sunt veteres: funiculus, ligamentum,
quod inter vitam et voraginem mortis est.

*

Los ordenadores son inútiles. Sólo pueden darte respuestas.

Pablo Picasso, pictor (1881-1973)

Computatoria inutilia sunt: Tantum responsa tibi
dare possunt.

*

También entre los pucheros anda el Señor.

Teresa de Ávila (1515-1582)

Inter ollas quoque Dominus ingreditur.

*

Historia es, desde luego, exactamente lo que se escribió,
pero ignoramos si es exactamente lo que sucedió.

Enrique Jardiel Poncela (1901-1952)

Scilicet historia id exactum est, quod scriptum
est. Ignoramus autem, si revera id ipsum sit,
quod factum est.

*

La conciencia no nos impide cometer pecados, pero desgra-
ciadamente sí disfrutar de ellos.

Salvador de Madariaga (1886-1978)

Conscientia nos non impedit, ne peccata commita-
mus, sed quod est dolendum! - nos impedit, ne
iis fruamur.

*

Un pedante es un estúpido adulterado por el estudio.

Miguel de Unamuno (1864-1936)



Acerbus homo stultus est studiis corruptus.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



ERRATA

in Rumoris Varii fas- ciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi de- buit
2/96	38, v.10	raprum	raptum



QUINO

"Ille venit de rebus insolitis et miris loquens velut de benignitate, amore, humanitate, tolerantia indulgentiaque, cum nos securitate, pane, habitatione, occupatione negotiisque egeamus. Sed maxime suspectus nobis statim visus est, quod non reminiscimur nos umquam in televisione eum vidisse."

Acta diurna Hispanica 'El País' die 7^o mensis Aprilis 1996
In Latinum vertit Daniel Weissmann

IDIBVS SEPTEMBRIBVS
MCMXCVI

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

